...horres

...nsis Stanis.

Grodzicki i Hellmann.

Opalinscianae Scholae in Collegio Lubranscviano Academico: Navis coronata ob insignem amplissimi Palatinatus Posn. dignitatem Christophoro Opaliński delatam.

NAVIS
CORONATA
Ob insignem
Amplissimi Palatinatus Posnan: dignitatem
A
SERENISSIMO & POTENTISSIMO
VLADISLAO IV.
POLONIÆ & SVECIÆ
REGE.
ILLVSTRISSIMO DOMINO,
D. CHRISTOPHORO
DEBNIN OPALINSKI
CAPITANEO SREMENSI
delatam.


A
Nobili studiosa Iuuentute Scholæ Opalinscianæ In Collegio Lubransciano
Academico erectæ pleno debitæ obseruantiæ ac deuotionis animo
LAVDATA.

POSNANIÆ,
IN OFFICINA ALBERTI REGVLI Anno Domini 1637

INSTEMMA ILLVSTRISSIMI
Terror vtrinque malis

C. O.

D. B.



P. P.

C. S.

Vartha vbi progrediens Erymanthida versus ad Arcton
Posnea cæruleis irrigat arua vadis:
Aspicio duplicem viridi sub littore Nauem,
Gaudet prima PEDO: *Gaudet at* ENSE *sequens.*
Cedite fœdifragi: Thules penetrate recessus
In vos conueniunt ENSIS *& ecce* PEDVM.

Franciscus de Ciswica Ciswicki Castellanides
Sremensis stud: Gram: Opalin:

NAVIS
CORONATA.

SI quis antea, Illustrissime, Domine, virtutem aut in tenebris delitescere posse affirmauerit, aut comitem gloriam & honorem habere dubitauerit: ille die hodiernâ, quâ Te primùm, summo Dei Immortalis consilio, in hoc senatoriæ dignitatis fastigio collocatum videmus, desinat illud affirmare, hoc dubitare. Quis enim tam rerum omnium ignarus, in hoc amplissimo Regno, reperiri poterit, qui nesciat, Te, non promiscuæ plebis, ex veritate pauca, ex opinione multa iudicantis, fauore, sed innumeris virtutibus; non ambitione, sed præclaris in Rempub: Tuis, & Maiorum Tuorum promeritis, hunc amplissimum dignitatis locum conscendisse. Profectò si in Augustissimam Tuã prosapiã mentis aciẽ cõuerto, si vitæ Tuæ nobilissimas occupationes, si præstantissimas animi & corporis dotes paulò diligentius cõsideramus, eas tantâ virtutũ vbertate affluentes, sese nobis obiicere videmus, vt facilè conijciamus, si in illa celeberrimorum virorum tempora incidisses, & decades Liuianæ, & vitæ Plutarchi,

& Trogi annales, Tuum clarissimum Nomen, complexu munimentorum suorum acceptum, nunquam intermoriturae mortalitati consecrâssent; plusque ornamenti ex tuo splendore, acquisiuissent, quàm Tu ex taliū munimentorum admiranda diuturnitate consecutus fuisses. Nam quantùm auro ex gemmis ornamenti, horto ex rosa & liliis amaenitatis accedere videmus, tantùm illis doctissimorum virorum scriptis, ex honorificentissima virtutum Tuarum recordatione dignitatis, accessisset. Habet equidem sua praemia virtus, neq; est gens vlla tam barbara, tam immansueta, tam ferox & indomita, vt quae non virtutē in summis rebus numerandam esse ducat, iisque qui virtutis laude excellunt, immortalitatem in rebus humanis deberi non existimet, fateaturque multùm ex illorum praestantissimis virtutibus accedere annalium scriptoribus dignitatis. Quò minùs mirari debes, si ad solennem hunc Tuum in Palatinatum Posnaniensem ingressum, & in hac publica totius Maioris Poloniae hilaritate, non aliud Tuis oculis manibusque offertur, quàm egregiae ac singulares, diuinaeque virtutes Tuae, ac praeclara facinora, per quae felicissimè in hoc honoris fastigium ascendisti, in vnum collecta. Quae si promptiore officio & hilaritate, quàm dicendi elegantiâ vel facultate veneror, quaeso obtestorque Te, vt meam iuuenilem dictionem Tuâ illâ in studia Academica, potissimúm autem in hoc Lubranscianum Collegium, in quo bonarum litterarum disciplinis iuuenilis Tua aetas informabatur, beneficij propensione tuearis ac sustentes. Ingredienti autem mihi immensum Tuarum Illustrissime

me Domine, laudum Oceanum primùm sese offert, summa Illustrissimæ prosapiæ Tuæ, atque generis amplitudo: quam vt ego consultò prætercam, multa me impellunt. Tum quòd Te satis Tuo splendore illustrē, non solùm alienis ornare plumis indignum esse puto; sed etiam laudem, quam virtute Tibi Comparâsti, per riuulos alti sanguinis consectari, minùs esse idoneum animaduerto. Tùm quòd & virtutum diuitias itâ possedisti opulentas, vt & laudum Tuarum vbertas in longos annales creuerit, & generis Tui maiestas tot ac tantos viros sit complexa, vt de illorum interea virtutibus, quod olim de Carthagine Sallustius effatus, tacere satiùs existimo, quàm pauca dicere. Dicendum enim mihi esset partim de maximis belli Imperatoribus; partim de augustissimis præcipuarum in hoc florentissimo Regno Ecclesiarum Præsulibus optimè de Repub. Christiana meritis. Celebranda esset Iacobi de Bnin singularis fortitudo, & eximia atq; admiranda in re militari dexteritas: qui post multas præclaras in bello Pomeranico reportatas ex hoste victorias, ad extremum Paulum illum Consulem Romanum ad Cannas pugnantem imitatus mortem gloriosam oppetere, quàm fugam excusare maluit. Laudandus esset Petrus Castellanus Landensis qui Bizantium Legatus à Repub: missus, negotia sibi commissa summâ industriâ & dexteritate peregit; nefarium illum Asiæ Tyrannum audaciâ furentem, promptum ad vim, audacem ad omne facinus refrenauit. Commemorandæ essent Illustrìssimi Andreæ Opalinski Episcopi Posnaniensis, Patrui Tui virtutes, resque præclarè, for-

De hoc vide Vitam B. Stanislai Kostki à Skarga scri[p]tam, fol. 1157. col. 6.

titer, prudenter gestæ. Fuit summa ille dum viueret in gratia Diui Sigismundi Tertij, (omnium qui nostrâ, ætate in orbe fuerunt, sapiẽtissimi Regis) propter insignẽ in consiliis prudentiã, in iudicando felicitatẽ, in agendo industriam, ac fidem. Commemorandus esset Illustrissimus Parens Tuus, qui nouam scholam in Collegio Lubransciano proprijs sumptibus excitauit: nil retardatus interim aut Magnificâ Cænobij Sieracouiensis incæptâ fundatione, aut memorabili illâ contra Osmanum Imperatorem, Otthomanicam illam belluam, limen iam Regni tenentem, expeditione. Quæ omnia si dicerem, multa tamen omitterem, multasque imagines virtutum in Tuis Maioribus ad viuum expressas, necessariò præterirem. Sæpe enim Nobilissimâ hâc Tuâ familiâ tanquam Atlante cælum, Respub: nitebatur. Sæpe in huius familiæ sinu Ecclesia, ceu fluctibus, quassata nauis in tutissimo portu, conquiescebat. Sæpe hæc familia vi sceleratorum Patriæ inflicta vulnera, fasciâ suarum obligabat virtutum, illisq; vnguento suæ prudentiæ medebatur. Ecquam putamus fuisse nobis hostium Ciuitatem finitimam, cuius mænia Opalinsciorum potentiam nõ expauerint? Ecquando eruperant in Regnum hoc hostium examina quæ dum huc & illuc volitando, hæc atque illa depopularentur, cæde atque terrore omnia complerent, insignẽ à Maioribus Tuis cladem non acceperint? si Orientem spectamus, ibi Scythia: si meridiem, ibi Thracia: si occidentem, ibi Germania: si Aquilonem, ibi Moscouia & Suecia: ex omni verò parte omnes exteræ nationes, vel metu perculsæ, vel admiratione perculsæ Maiorum

Tuo-

Tuorum reuerebantur nomen. Quorum omnium, si virtutes diligentius ponderarem, non solùm nostri duces, sed etiam veteres Romanorum Imperatores, ab illis omnia virtutum trophæa sibi erepta faterentur. Tanta est familiæ Tuæ amplitudo, quam ego nunc silentio prætereo: cuius laudũ difficiliùs est exitũ quàm principium inuenire: quæ nõ vitijs, sed virtute; nõ otio, sed partim bello, partim etiã pace, nõ ignorantiâ, sed singulari rerũ omniũ cognitione per tot amplissimos viros latissimè dimanauit. Cùm autẽ is sit ferè perpetuus, naturæ ordo, vt ex bonis boni progenerentur, maiorum in liberos atq; posteros deriuentur virtutes, Tu subitò ad patriam Claritatem lucem virtutum Tuarum iam, à tenero vngui meditabâris. Sic enim, sapientissimè statuisti, nisi eam gloriam, quam Tibi Maiores reliquissent ampliorem redderes; quòd Te homines Nobilissimâ familiâ ortum suspicerent, nullâ laude id dignum videri; si eos Tuâ præstantiâ superares, cùm quæ magna ac laude digna fecissent, cum Tuis rebus in comparationem aliquando venirent, tùm quàm magnæ illæ ac præclaræ essent intellectum iri: tùm veram ac solidam gloriam, tùm Te immortalitatem consecuturum. Non igitur, statim à primis Tuis annis, otium, veræ Nobilitati ignotum, & destabile heroicam indolem Tuam, ad præclara quæuis pronis conatibus enitentem, suo situ torpere fecit; non excelsi à pueritia animi robur languida voluptas, irratamentum malorum emolliit: non virilem iam ante canos & rugas fortitudinem molles blanditiæ, & illecebræ fregerunt: sed huc omnes ingenij & industriæ neruos contendisti, vt cum Lace-

dæmo-

dæmonijs & Romanis adolescentulis ad Rēmpub: maturè Te præparares. Sciebas quippe nō vulgaribus ad eam rem inductus argumentis hominem ad negotium, non ad otium, ad virtutem (vt Aristoni placuit.) non ad desidiam & voluptatem a Deo Opt: Max: creatum esse. Sciebas esse in nobis præclara quædam ad omnem virtutem à natura insita semina; quæ quidem quanquā per se fructum edere vberrimum possunt; tamen multò citiùs & copiòsius si labor, & quædam quasi disciplinæ Magistra præcesserant. Eximia tunc indolis Tuæ ad virtutem, ad dignitatem, ad gloriam, ad res maximas gerendas relucebant documenta, cùm illi quibus Tua institutio fuit, à principio credita, incertum habuerint, esset, ne illud discere, in tàm puerili ætate, an, vt diuinus ille Plato persuasum habuit, reminisci: cùm omnes facilè argurarentur, ex his principiis, tam illustri bus virtutum bonarum indiciis, non nisi summa quæq; consequi oportère, quorum tanquam in herbis non fallacib⁹, fructus postea apparuerunt speciosi, & vberrimi. Vt enim statim viret seges, & rosa iucundum de se spirat odorem: sic generosa & heroica vis animi, quāuis in teneris non esse occulta solet; sed elucescit, & ad honesta quæuis suâ sese sponte excitat extimulatq́ue. Cæterùm cùm generosa illa vis animi, & accensa quædam ad amplitudinem voluntas, inflammatumq́ue studium ad res fortiter & præclarè agendas, Te gloriæ appetentem laudisque auidum, quod cuique optimo tributum est, dies noctesq́ue stimularet ac pungeret, imitatus illum Herculem Xenophonteū exteras nationes, atque inprimis Italiam, bonarum artium fæcundissimam matrem,

matrem, explorasti: quâ continentiâ, quâ integritate, quâ laude innocentiæ, quid memorem? Non ita multis ante annis aiunt apud Indos herbam quandam repertam esse, odoris quidē excellentis; verùm minutissimis refertam serpentibus, quorum ictu protinus est vnicuique moriendum. Et nunquid ita illorum locorum populi quo alliciant iuuentutem habent, sed lethale, nisi prudentissimè caueas venenum, & mortiferum virus occultant? Plerique exitialibus deliniti blandimentis à recto in illis locis cursu sæpenumerò aberrant, non pauci totos se penitùs incauti, ita in blandam præcipitant perniciem, vt nunquam emergere, & sese ad meliorem frugem recipere possint. Tu cùm ad gymnasia illa, tanquam ad emporia quædam, optimis atque preciosissimis mercibus referta, missum Te fuisse scires, temperantiæ & continentiæ munimento septus, luxuriantium affectuum perturbationes compressisti, blandissima voluptatum lenocinia constantissimo animo ita remouisti, & neglexisti, vt in illis, præsertim amænioribus locis, eas ne gustasse quidē in omni vita, & integrū, Te perpetuo seruâsse ab omnibus iudicatus sis. Quæ voluptates etsi vitio iuuentuti penitùs vertendæ non sint, propterea, quòd illi ætati rectè omnium sententiū iudicio, dantur: quia ita illi insitæ sunt, vt ex ipsa euelli non posśint, nisi prorsus ex hominum vita adolescentia euellatur; tamen qui adolescentes virtutem in illis non alliserunt, neque absconderunt, rerumque indecentium cupiditati restiterunt vt aliquē ex annalium memoria, vt cælo delapsum requirimus,

B miramur

miramur, & narramus, perinde atque aliquem quiScyllam præternauigauit, nec abreptus est, Charybdi conspectus, nec retentus est, Circe populum bibit, nec mutatus est, Syrenes adijt, nec accessit. Habebas medius fidiùs, habebas singulares minusque communes virtutes, quib⁹ inter varios diuersarū gentiū adolescentes, in illis regionib⁹, sicut inter gēmas gemma preciosissima, inter monilia monile preciosis lapidibus ornatissimum, inter stellas, stella clarissimo lumine ornata resplēduisti. His tā præclaris iactis adolescentiæ fundamentis, quæ vna omnium ad amplitudinem in Repub: comparandam esse firmissima existimantur, cùm ipse iam animo maiora & grauiora conciperes, & diu tecum multùmque reputasses, quâ potissimum ratione perennem nominis immortalitatem Tibi comparare posses, ita statuisti denique cætera omnia fluxa, incerta, fugacia esse, quæq; ad lenissimam quamuis impressionem vinci frangique possunt, in vera duntaxat gloria atq; obsequiis patriæ præstandis omnem Tibì esse operam collocandam. Etenim sic habebas, omnibus qui patriam aut adiuuerint, aut auxerint, non modò certum esse in cælo ac definitum locū, ibiq; in diuinissimi Numinis beatissimo conspectu defixos æternis voluptatibus perfrui: sed etiam inter homines gloriosâ per omnes ætates conseruari successionē. Proinde in Patriam reuersus ita Te gessisti, vt præstantissimorum in hac Repub: virorum, quorum hæreditas gloriæ & factorum imitatio ad Te pertinebat, virtutem cum propria quadam integritate coniunctam, facilè omnes cognoscerent: vt quæ iam ante diuturnâ prudentis-

dentis.

dentissimorum virorum tractatione didiceras, ea quò ad res postularet, in facie Reipub: consumeres, neque eos imitareris, qui in libera Repub: natiita se in literis, & inhonestissimis artium studijs abdiderunt, vt tamen ex ijs nihil in lucem proferre, nihil ad Patriæ salutem haurire possint Non intelligunt enim, eum, qui ad Rempub: accedit, ita se comparare oportere; vt quemadmodum fax vna in portu constituta, multis, quæ in mari iactantur nauibus splendore suo opitulatur: sic ipse ciuibus suis omni virtutis genere prælucens, in maximis fluctibus, & turbinibus auxilium ferat, & curet ne quisquam eo præeunte ad infelicem aliquem calamitatis scopulum impingat. Equidem quemadmodum Fortissimo illi Herculi parùm ad immortalem gloriã profuisset si tantùm vt sterilem disputationem, virtutis & voluptatis certamen, adiisset: ita futuro Reipub: senatori, non tantùm incumbit vt per virtutem quid honestũ sit inuestiget; sed etiã necesse est, vt quod laude dignũ est persequatur. Etsi enim virtutes possessorem suum in sublimiori loco constituunt, nec leuiter commendant, tamen si actiones non respondent, iucundissimâ virtutũ harmoniâ conturbatâ & solutâ obscuratur omne id quod antea celebratione dignum fuit. Quapropter Tu considerate agere, & omnia ad communem vsum Patriæ reducere, pluris esse quàm prudenter cogitare, omnemque virtutis laudem in actione consistere iudicâsti: cùm nullum tempus, momentum nullum elabi patereris, quòd non ad vsus Tuos et ad communem incolumitatem transferre cogitares. Sed non est necesse singula

tanquam per vniuersitatem rerum à Te gestarum sparsa, anxio labore in vnum colligere: non omnes virtutes oratione meâ tenui percurrere, contigit sufficiens tanto documento amplissimū inter Terrestres Nuncios officium, Tibi vnanimi Maioris Poloniæ Ordinum consensu aliquoties impositum. Quis dicet quæ in oculis amplissimæ Reipub. admirantis pro patria, pro salute publicâ summâ industriâ peregisti? Cùm Nobilissimorū Ordinum animos suauitate Orationis lenires, mitigares & prope exarmares. Quis enarret quæ summâ dexteritate negotia, fidei & curæ Tuæ commissa gessisti? cum non obscurè significares quantùm apud te cura, incolumitas, & dignitas publica valuisset. Quis concipiet quoties magnis & arduis officiis singulari cum Tua laude ac cæterorum admiratione es perfunctus: vt fateri vel profiteri meritò omnes possemus, in hoc genere laudis multorum, non solùm mortuorum famā, sed viuentium quoque gloriam prudentiâ tuâ victam esse atque superatam. Excitabant Te cùm aliorum exempla; tùm verò prudentissimi viri omnium ætatum memoriâ dignissimi Iacobi de Bnin Palatini Posnaniensis, qui cûm vidisset plerasque simultates Silesiorum Principum increbrescere, & propagari quæ quasi semina forent atq; scintillæ non leues, vnde in Regno nostro malorum incendia non mediocria metuerentur, summâ prudentiâ & admirandâ suauitate Orationis pestē illam prohibuit, ne ad perniciem Reipub: dimanaret. Ita enim Te in in ipso statim ætatis exordio armasti, vt dignus eodem loco in quo ille erat, hâc ætate videreris. Quæ omnia Nobilissimi Ordines Maioris Poloniæ admirati, Te supremo.

premo.

premorum in Regno Iudiciorum prudentiſsimis ſuffragiis Iuridicundo, & æquitati tuendæ Iudicē elegerunt. Ita ſane manifeſtus eſt virtutis ſplendor, vt ſicut facis ardentis lumen occultari non poteſt, quin illud omnes videant, ſic virtutis claritas, celari nequit, quò minùs magnorum virorum animos atque oculos in ſe cōuertat. Qua in re ea Tua fuit ratio Magiſtratus illius gerendi, vt, cùm multò plura quàm omnes ſibi de Te polliciti eſſent, præſtiteris, ab eo vſq; tempore, tacito amplisſimorum Ordinum conſenſu decretum fuerit, nihil in hac Repub. tam illuſtre, tam magnificum, tamque excellens eſſe, quo Tu quidem non poſſes Te dignū præſtare. Etenim nulla poteſt fingi aut excogitari boni iudicis virtus, quam non in Te, etiam ipſo, vt aiunt, digito, monſtrare poſſemus. Opus eſt enim, vt iudex tanquam aliquod iuſtitiæ ſpeculum ſit, in quo cæteri omnes mores vitamque ſuam contemplentur. Talis procul dubio eras, cùm publicè & priuatim omnibus prodeſſes, omnibus commodis intenderes, oppreſſos ſubleuares, prompto officio, animo inuicto coerceres rebelles, bonos iuuares, omnibuſq; ſua iura & æquares & æquo libramine deſcriberes. Grauitas authoritaſque in Iudice, ſumma effulgeat oportet. Effulſit in Te: & ita effulſit, vt vix vllos grauitate, & authoritate inſignes dare viros poſsimus, quos Tu nō anteires vel æquares certè. Maximis præterea ingenij dotibus & prudentiâ Iudex debet pollere, ne callidâ iuris interpretatione ab eo, quod fas & æquū eſt ſe abduci, & deflecti patiatur. Pollebas certè & ita pollebas, vt in omnibus Iudiciis nunquā fides integritaſque Tua contremuerit. Ad extremum Iudicis

dicis est suâ præsentiâ frequẽter suprema Regni Iudicia exornare. Exornasti, atq; ita exornasti, vt nec à rectitudinis scopo deerrares, nec culpatâ seueritate efferuesceres: sed omnia suaui quâdã comitate ita tẽperares, vt nõ quod Tibi integrũ, sed quòd communi saluti fructuosũ esset spectares. Cùm verò vt aduersas sic secundas res immoderatè ferrè leuitatis est: præclaraq; est æquabilitas in omni vita, & idẽ vult⁹, eademq; frons; Tu in prosperis rebus, ac ad voluntatem Tuã fluentibus superbiã magnopere, fastigiũ, arrogantiamq; fugisti: & quò plùs propter virtutem dignitatemque poteras, eò minùs quantùm poteras ostendisti. Non Te profectò in potestate (quo quidem tempore mitissimo etiam ingenio homines animis efferri solent) extulisti; non in pecunia insolens fuisti propter abundantiam fortunæ Te aliis præferendo, vt opes & copiæ non superbiæ videbantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem ac materiam dedisse. His Tu gradibus Illustrissime Domine, & hoc vitæ laudabili instituto Serenissimo VLADISLAO IV. insinuatus, breui tempore tantùm fide, diligentiâ, & obsequio meritus es, vt eximiam in Te virtutẽ complexus Palatinatũ Posnaniensem vltrò contulerit, & in florentissimo Senatorum Concilio, non minùs graui, quàm fuit olim Areopagitarum Athenis, neq; minùs celebri quàm Amphictionum, neq; minùs splendido quàm olim Romanus collocauerit. Quod quidem Iudicium Tanti Regis ita Te extulit, vt maiorẽ ex Tuis de Te, & Tuis virtutib⁹ sensu, quàm ex eo honore (tametsi maximus sit) dignitatem accepisse videaris. Namq; si principum virorum meruisse fauorem atque animos ad beneuolentiam allicere non postremæ laudis

eſt, nec leue virtutis argumentum; Regis prudentiſsimi, (cuius in pernoſcendis ingeniis acumen, in ponderandis meritis prudentiam, in remunerandis præclarè factis iuſtitiam, in excitandis, denique ad omnem honeſtatem atque laudem hominum ſtudiis perpetuam ſollicitudinem orbis vniuerſus miratur,) promereri gratiam, ſingularis cuiuſdam Tuæ fuit virtutis & felicitatis. Quæ virtus & felicitas Tua tanta eſt, vt quemadmodũ qui oculorum aciem in ſolem intendunt non facilè illius ſplẽdoris vim & magnitudinẽ perferre poſſunt; ita quã diu virtutis & felicitatis Tuæ ſplendorem & lucem intuemur, penitùs nobis mẽtis aciẽ & ingenii perſtringat, vt ad quem exitum orationem noſtram perducere debeamus, nõ magnoperè nobis conſtare queat. Magnũ duntaxat Dei Opt: Max: erga nos benignitatis agnoſcimus teſtimonium, quòd planè vniuerſo Regno, ſed præcipuè Maiori Poloniæ ſpem optimam dedit, poſſe aliquando euenire, vt hoc motu rerum, & conuerſione tẽporum Tu ſapientiſsimo S. R. M. Iudicio ad hoc ſenatoriæ dignitatis faſtigium elatus, poſſis illius vulneribus ſalutarem manum admouere. Arbitratur enim Maior Polonia Te illam Tuo præſidio, Tuâ virtute, Tuâ prudentiâ, dubiis formidoloſiſq; tẽmporibus, ſic fulturũ ac ſuſtẽtaturũ, vt ad priſtinũ illum ſplendorẽ & voluntatũ cõcordiã breui ſit reditura. Hoc etiã abs Te ſperat Collegiũ Lubrãſcianũ Academiæ, Cracouien: Colonia, Maiorũ Tuorũ Alumna, Te enim illũ agnoſcit, qui proſpicias, eã nõ minùs in Te, quàm in Illuſtriſsmi Parentis Tui tutela & patrocinio recumbere. Nõ enim habet hoc Academicarũ literarum domiciliũ, quò poſt Deum immortalẽ, & Illuſtriſsimũ ſuũ Antiſtitem in ſuis difficultatibus ſe vertat, cuius fidem, cuius opem imploret, niſi,

Illuſtriſsime Dominē ad Te confugiat: Tuâ ope, potentiâ, authoritate, ſingulari quâdā in viros Academicos inductione ânimi & voluntate, & caput attollere virtutem, & in antiquum ſplendorem & dignitatem ſeipſum vindicare quandoq; ſperat. Videt enim Te illum eſſe qui in Tua hac ingenti ac noua dignitate nouos etiam virtutis fructus, velis præbere. hos autem vberes atque ampliſsimos præſtiteris, ſi Tu qui veluti proſperum ac ſalutare ſidus, huic Academico Collegio affulſiſti, lapſa erigere, fatigata reparare conaberis. Et quod Illuſtriſsimus Parens Tuus dies noctesq; ſummo ſtudio ac diligentiâ pro virili parte curauerat: Tu tandem perficias, vt omnia Tuâ virtute, atque authoritate priſtino vigori reſtituantur. Propones Tibi ante oculos æternâ memoriâ digniſſimam illius liberalitatē nam vt Coloniam hanc Academiæ Cracouienſis, inſigni Rozdrazeuianâ munificentiâ reſtauratam, ornatiorem atque celebriorem efficeret, ſextum Profeſſorem liberaliſſimè fundauit. Propones Tibi Reuerendiſsimum Andream Opalinski Epiſcopum Poſnanienſem. Patruum Tuum, qui ad conſtituendam auitæ religionis dignitatem feriò conuerſus, euocatos ex Academia Cracouienſi Profeſſores ſingulari beneuolentiâ proſecutus eſt. Quod ſi Parentis erga literas Academicas munificentiam & liberalitatem ceperis, ſi Patrui beneuolentiam: ſi vtriuſque conſtantiam, efficies, vt Nobiliſsima veſtra Domus, quæ Regno huic ornando & iuuando Dei benignitate nata & propagata, non minùs bellorum litais, quàm pacatis literis notiſsima, memorabili in bonas artes beneficentiâ & animo inclinatiſsimo glorioſa mo-

ſa monumenta, ad nominis ſui immortalitatem conſtituat. Ego verò ampliſsimum hoc Senatoriæ dignitatis munus, Tibi hodierna die cumulatiſsimè gratulor, Deumque Optimum Maximum ardentiſsimis precibus exoro vt Te immotum atq; inconcuſſum, tam diu ſaluum ac incolumem feliciſsimè tueatur, donec in hoc ampliſsimo Regno pacata omnia & tranquilla videas, neque prius hæreditarium virtutibus Tuis Cælum aſcendas, quàm Maiorem Poloniam, Concordem & florentem Tuis reddas ſucceſſoribus,

STANISLAVS in Wyſſyn GRODZIECKI
Caſtell. Miedzierecenſis Stud:
Schola Opalin.

PROPEMPTICON

POſneadûm ingreditur, fatis plaudentibus, Vrbẽ
Bniniadûm Soboles, patriæ virtutis imago:
Quam Lechici proceres, genꝰ, inſuperabile bellis,
Vndique conſpicui gemmis auroque, ſequuntur.
Sic vbi de patrio rediuiuus funere Phænix

Memnonis ad gentes redit, & cunabula secum
Ipse sua, & cineres patris, inferiasque decoris
Fert humeris, volucri pulcer per inania lapsu
Quàcunque accelerat, volucres comitantur ouantes.
Plaudite Posneadæ, virtus veneranda clienti
Sarmaticas meritò donat redditque Curules:
Quâs non terrisono prosternere fulmine Cyclops,
Non rabies Euri, non imbribus ebria nubes,
Nec vis vlla queat Stygiis emersa tenebris.
Plaudite: namque iterum iam sunt ventura beata
Sæcula Falcigeri. Iam pallida tabe cruentâ
Cædes, inque suum Rabies armata cruorem
Sarmaticos linqnens campos, & compita vestra
Tartareas ruit in sedes: vbi regnat Erinnis
Imperat Alecto, leges dictante Megæra.
Haud aliter dubiæ iam sub confinia lucis
Tithoni croceo surgens aurora cubili
Purpurat ore nitens, crinemque repexa decoro
Pectine palantes toto fugat æthere stellas.
Lætior annus adest: faustæ procedere lunæ
Incipiunt tandem: scintillant lumina flammâ
Ardenti, & niueis riserunt tempora gemmis,
Prospera lux oritur, pulchris signanda Pyropis
Pampineis spargenda rosis, & sagmine puro.
Talem Martigenæ quondam vidêre Quirites
Magnanimum quando genitrix animosa Camillum
Edidit, ac fausto recreauit germine fines
Ausonios, Latiique vrbes Laurentiaque arua.
In terris iam castra locant, & regna merentur
Virtu

Virtutes, mundumque regunt, nec iam magis illis
Astra placent, sedesque poli, quàm terreus orbis.
Iam cælo contendit humus: iam terra nitorem
Induit æthereum: iam terram vestit Olympus.
Iam pudor & certo contenta modestia fine
Et Ratio mensura boni, quam semper adhærens
Felici gressu felix comitatur Honestas.
Crediderim Zephyrum tacito per prata susurro
Concussisse nouo fæcundas nectare pennas
Et posito flatu nemus irrorâsse quietum.
Incipe fortunæ meliori pandere montis
Phæbe nouennarum princeps formosæ Sororum
Parnassi portas. Nam si ex virtute parentum
Præsagire licet, præsagia magna repandunt
Pimplæis Musis prælustria facta Dynastûm
Stellimico virtus meritò quos fixit Olympo;
Quis nescit quantùm Clarissima floruit olim
Hæc stirps, plena viris? quantùmque hoc floreat æuo
Quà nigros Phæbus populos despectat Eous,
Et vespertinis pronus quà mergitur vndis,
Quà Cynosura nitet, & quà contrarius axis
Aspicit Antipodas, pendentes vertice, nostris
Qui iâm casuri opponunt vestigia plantis.
Citria sic semper (visu mirabile) vernum
Spirant flore decus, semperq; nitentia gratis
Floribus ac fætu æternâque virentia fronde:
Citria Amalphæis latebra haud incommoda Nymphis;
At licet ex amplo sumant, primordia riuo
Bniniadæ; maiore tamen splendore feruntur

Stemmata conſpicuos vltra progreſſa nepotes.
Non aliter primas vincunt incendia flammas
Quêis exorta rudes quercu bacchantur in ædes,
Latiùs atque modum nequeunt ſeruare ruinæ.
Non aliter paruis rapidus de fonte ſcaturit
Vartha vadis, donec fugiens ab origine prima,
Fluctibus ingentes vecors excreſcit in amnes.
Hinc veniẽs (nam ſumma ſequar faſtigia rerum)
Gerrardus columen Lechicum clarusq; tiarâ
Cuiauiæ, egregias laudes prætendit auiti
Stemmatis, & titulis audet certare vetuſtis.
Non tam marmoreis miranda palatia cruſtis,
Non auri pretioſus honos, non Indica concha,
Nec quæ Phidiaco ſtruxit ſimulachra metallo
Quàm virtus formoſa, nitet, quâ luxit in orbe
Ingeniique decus rarum, nec in vtile pectus
Conſiliis conſtanſque animi, prudenſque futuri.
Quid memorem Petrum, longo qui mænia tractu
Ardua Glogouiæ produxit, cingere vallo
Vndique conatus: quod non impellere ſæuus
Aut aries, aut vlla queat fera machina belli:
Hoc ſe præſidio, tutans ſeroſque Nepotes.
Illius Illuſtris totum vulgata per Orbem
Splendeſcit, completque bonis rumoribus aures
Gloria lauſque nitens: quam nec ventura ſilebunt
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube vetuſtas.
Illum fama vehet trans æquora, tranſque remotas
Terrarum ambages, longos orbiſque receſſus.

Hinc alter Petrus famâ super æthera notus
Gemma Ratis magnæ venit, verusque Polonæ
Stirpis,& antiqui germanus nominis hæres.
Qui cùm clara sui ingenij documenta dedisset
Principibus Lechicis, subitò contendit in altum
Surgere, & audaci cælum penetrare volatu.
Namque vbi Memnonio roseus de gurgite Titan
Igniuomos educit equos, excelsa Gelonûm
Castra petens, Regno pulchram cum fædere pacem
Restituit. Thraces sæui tum Bistonis vrbes
Pellitique Gethæ in fraudem prædamque parati
Errantes passim Mœtica ad ostia Ponti]
Accipiunt in nos animos mentesque benignas;
Postquam sermonis pondus sublime diserti
Audiuêre Petri: traxit quo dulciter aures.
Ac veluti magno in pelago cùm nocte coorta est
Tempestas pluuiusque vigor: cum turbidus Auster
Ipse agit vndantes nimborum in prælia turmas:
Perque vias, perq; arua simul, sternitque feritque,
Puluereus globus, inuoluens cælumque diemque,
Tum postquam Phaetontis equi, postquam aurea cano
Purpureos aurora sinus de gurgite tollit,
Aequora cuncta silent, fugiunt Eurique Notique
Sic cunctus cecidit furor impiaque ira Tyranni
Postquam ingens patrio virtus hunc extulit orbe
Spectandumque dedit magnis celeberrima Turcis
Fama: nec augusto se claudi passa theatro
Alta gubernâcla, ingentesque assumpsit habenas.

Cui tandem ignota est pietas, clementia, candor,
Præsulis Andreæ nullis moritura diebus
Inclita, doctiloquis pridem cantata poëtis.
Quis non suspiciat generosi Præsulis acta
Aequatasque polo moles totâque fugatam
Hæreseos pestem Patriâ Stygiosque colubros.
Sic furit ignis edax rupto cùm turbine venti
Incidit in segetes, aut cùm de flumine Volcha
Montano Cereris sternit cum munere syluas
Præcipites pauet à longa regione viator.
Exornant gentile decus, Mauortiâ proles,
Pignora clara duo, stirpis lux magna vetustæ
Nicoleos bellis magnus, fortisque Iacobus.
Sicut in imbriferis Euris rapidisque procellis
Exurgunt fratres Helenæ cum Castore Pollux
Veliuolasque vias monstrant sulcare carinis:
Sic duo Bniniadæ Patriæ Regnique saluti
Exorsi quondam. Decus, excellentia, robur
Alter bellorum: cuius prudentia magnis
Floruit Imperij rebus, multosq; per annos
Non alto simulata gradu, non improba gestu,
Sed clara ingenio, & multis virtutibus aucta
Nobilitas spectata fuit sub Principe Criuo:
Alter conspicui decus, & pars magna Senatûs
Eximij pressit vestigia clara Parentis:
Bniniadûmque nouo NAVEM cumulauit honore.
Mitto Palatinum Petrum quem Posnea iactat
Quemque patrem noster memorat celebratq; Toparcha.

Hic

Hic hic res Musis conuulso cardine lapsas
Vnus restituit, primaq; in sede locauit.
Vt serpens quando exoritur post frigora Titan
Exuit & senium, viridem reparatq; iuuentam.
Insultusq; graues euincit fortis iniquæ:
Sic quoq; Lubranscî sedes celebrata Camænis
Hoc duce, gemmifero tandem splendere nitore
Incæpit temnens vicinæ spicula gentis.
Hic plures Craci celebres assumpsit ab vrbe
Doctrinâ morumq; viros grauitate politos.
Hoc opus esse sui, vigili sub pectore versans
Scilicet officij, doctas curare Camænas
Vt tales habeant, teneram sudore iuuentam
Qui multò impigri neque dexteritate minori
Erudiant, doctas tractentque fideliter artes:
Moribus informent cultis rude vulgus, & acri
Hortentur gressu properare ad culmina Pindi:
Hinc iuga commonstrent Heliconis ad ardua callem
Ad sacros latices ducant simul Hyppocrenes
Quos sacra Castalidum, quæsitaque gloria Musis
Excitat, vt capiti decus immortale virenti
E lauro sibi serta parent iuuenilibus ausis
His igitur tantis SOBOLES prognata Dynastis
Posneadûm celsam, faustis successibus, arcem
Ascendit faciemq; gerens moresq; paternos.
Hæc fortuna illi vix primæ limina vitæ
Ingresso dederat felicia symbola quondam
Inter Lechiadas summæ prænuncia laudis.
Namq; velut viridis, nemorum noua gloria, palma

Fërtilis irriguo quam profert vbere tellus
Sol firmat flabrisque fouent clementibus auræ
Tollit se cælo, & speratæ Prodiga frugis
Decliuem pomona rubens cùm purpurat annum
Brachia demissæ fructus cum floribus æquat.
Non illi Notus imbricitor, non ningida brumæ
Astra, nec igniferi iuba formidata Leonis
Frondicomi lætum capitis detondit honorem:
Sic quoquè Christophorus primæuo in flore iuuentæ
Processit, Phœbi doctas operatus ad aras.
Huic tenero semper Phœbeas segnis ad artes
Mens fuerat studiique capax, omnemque laborum
Hauserat illuuiem, doctis pallescere chartis
Atque oculis placidos toties excludere somnos,
Productam & summæ noctem coniungere luci,
Longùm nascentes voluendo in sæcula libros,
Doctrinæ & laudis studium stimulabat auarum:
Auspiciis procede bonis, procede secundis
PROGENIES, magnis multùm exoptata Polonis:
Te rogat altus honos virtutis. plena Camænæ
Gaudia iam referunt sensus peruenit ad omnes
Lætitiæ, mentemque ciens renouata voluptas
Crescit, & exultant trepidis præcordia fibris.
Taliter Euboicis exundat littus in agris
Cùm tumet Euripus reuocatis concitus vndis.
Auspiciis procede bonis, procede secundis
(Exigit hoc etenim fatorum immobilis ordò)
Ominibus Posnam: felicia sydera poscunt,
Quæ Tibì nascenti cunabula prima dedêre.
Iam testudineus spondet Tibi mitia Cancer

Brachia; felicem multa cum laude senectam
Promittit placido facilis Tibi Iuppiter ore.
Et quæ sydereis accensa est bellua flammis
Consensu superûm, Lybici retinendo Leonis
Nomên, cuncta Tuæ donabit fausta curuli.
Scorpius, infelix monstrum, felicia spondet
Omina, naturæ variando semina priscæ.
Illa dies olim veniet quâ facta canemus;
Vberiùs nomenque Tuum, quà Lechica tellus
Et gelidi Scythici resonarunt littora Ponti:
Ibit Balthiacas passim Tua fama per vndas:
Per Musam extremis Orbis nosceris in oris.
Difficile iniectis ignem sopire fauillis
Intus viua volans prodit scintilla latentem
Et sensim exortis vastat ramalia flammis.

STEPHANVS de Strzemielec LASCZ
Castellan. Landensis Stud: Schola Opalin.

VOTVM
AD B. V. M.
Pro Illustrissimis Dominis, Fratribus
D. CHRISTOPHORO
Palatino Posnaniensi, & Dno LVCA
Capitaneo Pobiedzicensi.

ALma parens, rosei liquidum cui verticis aurum
Bis-sena inocuis allambunt sidera flammis,
Sub pedibus cui Luna nothos vaga degerit ignes
Et croceo Titan velamine corpus inaurat
Sic Te diæ acies, Populus felicis Olympi
Sic homines, quà lucifluo sola terrea fonte

Sol rigat, & fluctu circumsonat Amphitrite
Reginam Matremque colant: Tibi sacra, Tibi aras
Instituant, & festa Tuo de nomine dicant.
Annue supplicibus votis Regina clientûm
Et geminam prolem, veteri de stirpe Toparchas
Christophorum & Lucam primo qui limine ab æui,
O rarum seræque decus memorabile famæ?
Aeternùm Tibi se proprios certosque dicarunt
Optanti serua patriæ, doctisque Camænis.
Spes patriæ facesse ratas, votique Clientes
Damna Diua Tuos hoc nam decet: hoc sibi de Te
Spondent, & dulci, (sit fas) pietatê merentur.
Ille viden! Magnus generoso & pneumate plenus
Christophorus quantò ætatem virtutibus ántêit?
Quis calor incensæ mentis? quæ flamma medullis
Aestuat? Aonijs quoties spatiatus in hortis,
Hic vbi (floret enim docti Respublica Phæbi)
Candida subiiciunt Lubranscæ culmina sedes
Et laterum sacro stant propugnacula nexu
Herbosis innixa locis, labentia subter
De antro Cæruleo propellit flumina, Vartha.
Post vbi Parthenope monstrat iuga celsa Veseûi
Arnus & Hetruscas vbi terras agmine scindit:
Atque vbi saxosi vexat ripa aspera Rheni
Sollicitas vrbes, quas & de montibus actis
Turbat Senus aquas campo inferiore vagatus.
Sic quoque cæligeri felix Iouis armiger ales
Non patiens oui claudi se cortice, rumpens
Tecta domûs curuis rostris atque vnguibus vncis
Vertit ad Eoum nutantia lumina Phæbum.
Quid Tuus, ille Tuus. Tibi enim se dedidit vltro
Magnanimus Lucas, cultor virtutis auitæ,

Naturâ felix, nam quæ præcepta Magiſtri
Tradiderunt tenero, quàm verus finis honeſti,
Impreſſa hæc retinet diuinæ munera lucis
Corde ſuo. O quæ ſe præſenti oſtendit in æuo
Canities animi, & morum properata ſenectus!
Vt generoſus equus gemmis inſignis & auro
Procedens & frena ferox ſpumantia mandens
Calce ſolum quatit, atque hinnitu prælia crebrò
Exigit: impatiens freni impatienſque quietis.
Illius haud aliter virtus animuſque virilis
Poſcit in exhauſtos toties perferre labores.
Pondere nec premitur: creſcit creſcente labore.
Ergo virgo parens placatum aduertito Numen
Auxilium fer deinde volens hæc quæ omnia firma
Et placidè in pulchram da matureſcere frugem.

Ioannes & Stanislaus à Rozdrazow Rozdrazewſci
Fr̄es Germani Stud. Scholæ Opalin.

Incipe, felices greſſus, in ſidere fauſtò
Bniniadûm ſoboles: munera digna cape.
Fida comes Virtus, Patrio Te in limine ponit
Vt ſic præcedas, primus in arte Deæ.
Sis felix igitur: velis procede ſecundis,
Ne frangant animum triſtia ſecla Tuum.

MARTINVS HELMANN.
Stud. Scholæ Opalin.

Cæli & ſupremi Numinis auſpicio
PROGREDERE MAGNORVM HEROVM LAVDATA PROLES.

Hic

Honoris Tui fauſto omine auſpicare exordia

Vbi

Maiores Tui præclara perpetuæ erexerunt gloriæ monumenta.

Vbi

Flores Veterum virtuſq; Virûm Parens Tuus,
Eccleſiam, Rempublicam, Collegium Lubranſcianum
piè, fortiter, liberaliter,
leuauit, defendit, recreauit.

PROGREDERE ET IMITARE

PETRORVM prudentiam, ANDREARVM munificentiam, NICOLAORVM fortitudinem.

Naſcetur poſteritas

Quæ gloriam Tibi ſubiectam conſpiciens admirabunda gloriabitur

CHRISTOPHORVM DE
BNIN OPALINSKI

Et poſteris ſpem ſummæ gloriæ præbuiſſe
Et Maiores longè poſt ſuos poſteros reliquiſſe.

VIVE & CRESCE
PLVS VLTRA.

IOANNES LAZNICKI
Stud. Scholæ Opalin.